

amygdalino decoctum in aurium doloribus utiliter usurpatur. *Lacteo* color nomen imposuit. Obtusior est turbine aliquando quam caeteri, aliquando *Exochas* potius et tubercula habet quam clavos. Triplices effigies invenies apud Aldrovandum. *Purpureus Orthocentros* totus forinfecus et intrinfecus rubet, turbine candicat. Mucrones habet duodecim rectos et robustos, sex constat volutis, quae exiguis et obtusis tuberculis resperguntur. *Coracoides* Rondeletio ab infirmis et rostris corvorum similibus aculeis dicitur.

Aporrhaides quidam inter *Lepades*, quod ut istae saxi adhaereant,

ponunt; sed male. Faciunt enim et *Neritae* idem, quae tamen toto genere ab iisdem differunt. Adde *Lepades* parte altera detecta et carnem ostentante affixas; *Aporrhaides* vero acclinato tegmine, quod iis operculum est, ad saxa agglutinantur. Quid si illius *Muricum* generis sint, quae Graeci Plinio prodente *Colycia*, et *Corythia* vocant, turbinata aequae sed minora multo, efficaciora etiam, et oris halitum custodientia. Ut ut sit, quem Aldrovandus expressit, marmorea est duritia, intus et extra candicans, septem aculeis, ab uno tantum latere, iisque canaliculatis instructus.

Plin. H. N. l. 32.

ARTICVLVS VI.

De Conchylio.

Aldrov. l. 3. c. 15.

CONCHYLII nomen ut ut universo testaceorum generi imponatur, privatim tamen pro unica specie accipitur. Sic apud Plinium invenimus, dum in Ponto conchylium non esse cum ostreae abundant, scribit: sic apud Philostratum in vita Apollonii, cum, in Biblo maxima conchylium et murices eximiae magnitudinis nasci, dicit. Summi et pro colore, apud Plinium inprimis, tam certum est, ut demonstratione non indigeat. Qui pro Ostracio sumunt, nomen partis totum accommodant. Est autem ea parte latius quam in turbinem deficit, sine aculeis tuberculisve ullis. Foramen, quo caro interior ostenditur, non rotundum, ut in purpura et buccino, sed longum. Operculum blattam Byzantiam *Serapionis* esse, quae eadem, quod avium unguem aemuletur, cum ungue *Dioscoridis*, opinatur Rondeletius. Nec *ευώδες* vocabulum obest. Nec enim hoc semper gratus innuitur odor; fa-

pe etiam gravis. Ideo expresse *Dioscorides*, ἀμφότεροι δὲ ευώδεις, θυμωμένοι, καστορίζοντες ποσὺς τῇ ὀσμῇ. At castoreum foetet, et utrumque, tam operculum, quam haec blatta Byzantia ad suffocationes uterinas adhibetur. Quod autem, in Indiae nardiferis lacubus unguis inveniri, et nardi pabulo velci dicitur, cum conchylium marinum sit, id ex aliorum potius quam sua sententia a *Dioscoride* scriptum opinatur Rondeletius. Similis purpureae tegumento dicitur, non figura, sed usu potius et substantia.

Laudatissimus est, qui a mari rubro adfertur, candicans, pinguis. *Babylonicus* nigrescit atque minor conspicitur, succum ipsi et quidem purpureum inesse testatur Plinius. Partes Conchylii omnes in medicamentis usurpantur. Crematum idem efficit quod purpura et buccinum. Caro interna medicamentis aurium dolores sedantibus a Galeno admiscetur.

Ulus. Plin. H. N. l. 21. c. 8.

Galen. l. 3. de Med. f. l.

CAPVT II.

De Turbinatis in orbem circumactis.

ARTICVLVS I.

De Turbinibus.

TAB. II.

Tantum de *στροβίλει*, seu Turbinatis, et in anfractum tortis, sequuntur Turbinata, quae in orbem circum-

guntur, Turbines nempe, Trochi, Neritae, Cochleae, Echyni, et Conchylium. Turbinum haud spernenda sunt genera.

Est